

et incuruntur ipso facto; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 8, n. 3; Farinacius in append. *Immunit.* cap. xx, n. 113; Marius Ital. *de Immunit.* lib. I, cap. vi, § 2, n. 29, et seqq.; Castro Palao, tract. XI, disp. iii, punc. 12, n. 3; Barbosa, *Jur. Eccles. univ.* lib. II, cap. iii, n. 166; Diana, p. VI, tract. I, resolut. 3, in fine; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 256, cum communi aliorum post bullam scribentium contra nonnullos præsertim ante bullam scribentes, et propterea ad præsens non attendendos. Patet conclusio expresse ex textu bullæ § 8, quem habes n. præced. ubi Papa expresse dicit violatores immunitatis ipso facto incurrere pœnas et censuras a jure latas; ubi verba « ipso facto » debent aliquid operari; atqui nihil operarentur, sed otiosa essent, si pœnæ essent ferendæ sententiæ; ergo. Accedit, quod pœnæ et censuræ per clausulam « ipso facto » illatæ, censeatur latæ sententiæ non tantum juxta communem doctorum, sed etiam juxta praxin et stylum curiæ, qui facit legem. Confirmatur conclusio et certa redditur ex repetitis declarationibus jussu Clementis VIII et Pauli V editis, de quibus testantur Castro Palao, Marius Ital. Bonacina, Haunoldus, loc. cit.

216. *Violat immunitatem et pœnis subjacet, quicumque sine licentia episcopi aliquem excepti criminis reum capere, incarcerare, aut extrahere ausus fuerit.* — Quæritur III. Quis dicatur violare immunitatem juris asyli, ad hoc, ut pœnas juris, præsertim excommunicationem incurrant? Resp. I. Omnes et singuli, quacunque auctoritate præditi, qui aliquem etiam excepti criminis certo reum, in asylo loco existentem « capere, extrahere, vel incarcerare » ausi fuerint, graviter violant immunitatem, et « ipso facto » incurrunt pœnas juris, præsertim excommunicationem majorem. Ita certa et unanimis post bullam Gregorii XIV scribentium, ob claram bullæ dispositionem: ubi postquam § 4 statutum, et præceptum fuit, ne sæculares aliquem excepti criminis reum « sine expressa episcopi, vel ejus officialis licentia capere, extrahere, aut incarcerare præsumant, » dein § 8 subjungitur, « quod si quis quavis dignitate quidquam contra hujus constitutionis tenorem attentare præsumperit, ipso facto incurrat juris pœnas contra violatores immunitatis statutas, » inter quas vel maxime est excommunicatio, per dicta supra n. 214.

217. *Vel hoc facere tantum tentaverit, aut conatus fuerit.* — Resp. II. Immunitatem violant, et præfatas juris pœnas ipso facto incurrunt, qui capere, extrahere, aut incarcerare tantum tentaverint, effectu non secuto: v. g. qui ecclesiam, monasterium, aut alium locum religiosum ingressi, reum, ut capiant, extrahant, aut incarcerent, perquirunt, etsi non inveniunt: vel qui invenerunt quidem, sed ob corporalem resistantiam a reo, vel rectore, ecclesiæ factam, capere, aut extrahere, vel incarcerare non potuerunt: vel qui animo capiendi, extrahendi, vel carcerandi reum, admovent manum violentam januæ loci sacri, etsi ob resistantiam aperire, et intrare, non valeant, etc. Farinacius in append. *de Immunit.* cap. xx, n. 322; Diana, p. I, tract. I, resolut. 15; Peregrinus, *de Immunit.* lib. I, cap. vi, § 2, n. 6, et alii. Probatur ex jure civili, ubi l. 2, c. *de His qui ad eccles. confug.* violator immunitatis, et reus pœnarum censetur, « si quispiam contra hanc legem venire tentaverit. » Concordat l. *Pateant.* c. eod. ibi: « Si qui eos conentur invadere, » et l. *Præsenti.* princ. c. eod. ibi: « Ausi fuerint tentare, » ubi notanda verba, « tentaverint, conentur, tentare, » ex quibus manifeste apparet, quod etiam conatus, seu attentatus effectum non secuto sub præfatis pœnis sit prohibitus, ut advertit Glossa in cit. l. 2, c. *de His qui ad eccles. confug.* §. *Tentaverit.* Idem aperte habetur in constitutione Gregoriana § 8, ubi Papa eodem termino utens pœnas juris « ipso facto incurrere declarat, qui contra tenorem constitutionis attentare præsumperit. » Hinc etsi alias leges pœnales intelligendæ sint secuto effectu, arg. can. *Hoc autem*, distinct. 1, *de Pœnitent.* secus tamen est, si lex etiam ipsum conatum expresse punire vult, uti hic.

218. *Nec excusantur, quod reus consentiat.* — Resp. III. Violant insuper immunitatem, et memoratas pœnas ipso facto incurrunt etiam illi, qui in loco asyli capiunt, extrahunt, aut carcerant volentem, consentientem, ac permittentem, sicut juri suo ac privilegio renuntiantem. Patet conclusio ex dictis n. 161. ubi vide.

219. *Etiam mandantes violant, et pœnis subjacent.* — Resp. IV. Non tantum illi, qui reum in loco asyli capiunt, extrahunt, ac incarcerant, vel id facere conantur, et tentant, sed etiam et vel maxime illi, qui tale

quid mandant, violatores immunitatis existunt, et pœnas juris, præsertim excommunicationis, ipso facto incurrunt. Farinacius, loc. cit. n. 324; Marc. Anton. Genuen. in *Praxi episcopali*, cap. xxvi, n. 7. Ratio est, tum quia effectus potius imputatur mandati, quam mandatario, seu exequenti, arg. c. *Ut famæ.* 36. § *Laici, de Sentent. excomm.* eo quod « is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato committi probatur. » c. *Mulieres.* 6. *de Sent. excomm.*; tum quia in bulla Gregoriana pœnis ipso facto subjacere universaliter declarantur omnes et singuli quavis dignitate præditi, qui contra tenorem constitutionis aliquid attentare præsumperint, hoc autem vel maxime faciunt, qui præfata auctoritative mandant; tum etiam quia bulla alias elusoria facile redderetur, si enim mandantes principes, judices, ac potestates sæculares essent immunes a pœnis, modicum, vel nullum effectum haberet bulla, cum illi executionem plerumque committant et mandent simplicibus et ignaris, ac mandato resistere non audentibus.

220. *Quid si violatores appellent.* — Resp. V. Si violator contra sententiam declarationis episcopi appellaverit, non est admitenda appellatio, donec prius Ecclesiæ fuerit satisfactum. Pignatell. tom. II, consult. 60, n. 62, ubi affert plures Declarationes illis verbis: « Appellatio a declaratione censurarum in materia violatæ immunitatis ecclesiasticæ non admittitur, nisi prius ecclesia quoad suum honorem fuerit in integrum restituta. » Sacra Congregatio in Neapol. 11 octobris 1617. et Lipar. 4, julii. 1620. et Rheg. 28 julii eod. anno. et Syracus. 19 julii 1622. ubi tamen a sensu contrario infertur, quod facta ecclesiæ satisfactione liceat appellare: quamvis enim a pœnis latæ sententiæ in jure appellare non liceat, l. *Si qua pœna.* ff. *de Verb. signif.* et c. *Quia nos, de Appellat.* præsertim in materia censurarum, arg. c. *Ad hæc, de Appellat.* tamen ea licita est a sententia declaratoria, uti cum communi aliorum bene docet Glossa, in c. *Cupientes, de Election.* in 6. Pignatell. loc. cit. n. 12. dummodo non sit notorium, pœnam esse commissam: quo absente talis interim non est vitandus. Pignatell. loc. cit. licet Gutierrez, *Pract. quest.* lib. I, cap. I, n. 20. et alii contrarium sentiant.

221. *Violatores ab excommunicatione nemo præter Papam absolvere potest.* — Quæritur VI. Quis, et quando absolvere possit ab ex-

communicatione contracta ob violatam immunitatem juris asyli? Resp. I. Nemo præter summum pontificem absolvere potest a præfata excommunicatione. Farinacius, in append. *de Immunit.* lib. I, cap. vi, § 2, n. 3. et seqq.; Diana, part. VI, tract. I, resolut. 14; Barbosa, lib. II, l. E. V, cap. III, n. 167. citans Peregrinum *de Immunitat.* cap. xv, n. 9. et plures alios contra Palao, loc. cit. Bonacina, et alios. Ad probandam hanc conclusionem afferunt citati doctores plura fundamenta. Et quidem primo decreta Clementis VIII. et Pauli V. per quæ omnibus confessariis prohibitum fuit, absolvere a casibus violatæ immunitatis in terminis constitutionis Gregorii XIV. Secundo Extravagantem 3. inter *Communes, de Pœnit. et remiss.* ubi casibus Papæ reservatis annumeratur offensa libertatis ecclesiasticæ. Tertio, quia juxta constitutionem Gregorii XIV, violatores ipso facto subjacent omnibus pœnis, quæ a jure communi, vel antecessorum constitutionibus quibuscunque, consequenter etiam a *Bulla Cœnæ* in eos sunt latæ; atqui excommunicationis *Bullæ Cœnæ* contra violatores immunitatis ecclesiasticæ latæ, sunt reservatæ summo Pontifici; ergo. Quæ et alia pro conclusione præsentia argumenta, quia varie solvere quidam sunt conati, merito causam decidit sacra congregatio immunitatis, dum repetitis vicibus declaravit absolutionem hanc esse reservatam summo Pontifici, quarum unam citat Farinacius, loc. cit. Alteram Delbene *de Immunit.* cap. xvi, dub. 38, cap. II, dub. 12; plures novissime Jacob. Pignatell. tom. II, consult. 59, ubi n. 13. una refertur illis verbis: « Absolutio a censuris ex causa violatæ immunitatis ecclesiasticæ est reservata summo Pontifici, » sacra Congregatio immunitatis. In Licien. 13 julii 1538, dein n. 47. « Absolutio a Censuris ob violatam immunitatem ecclesiasticam juxta constitutionem sanctæ memoriæ Gregorii XIV, quæ incipit: *Cum alias nonnulli*, est Sedi apostolicæ reservata. » Sacra Congregatio concilii 1617.

222. *Qui commissionem absolvendi non nisi episcopis dat.* — Imo si a Sede apostolica facultas absolvendi ab eadem excommunicatione detegatur, non nisi episcopis conceditur, uti sæpius declaravit eadem sacra Congregatio apud Pignatell. loc. cit. n. 17. ibi: « Absolvendi facultas non debet concedi ordinario inferiori, sed episcopo viciniore, »

eadem Congregatio 23 augusti 1632. et n. 31 ibi: « Solis episcopis, non autem aliis ordinariis inferioribus communicatur facultas absolvendi a censoris ob violatam immunitatem, libertatem, jurisdictionem ecclesiasticam, et Sede vacante committitur episcopo viciniori. Eadem Congregatio sæpius.

His accedit continua praxis, et stylus Curie Romanæ, qui loco legis venerandus est.

223. Ex quibus omnibus præsertim tot, et tam claris declarationibus sacræ Congregationis per tam fideles et classicos collectores allatis patet, sane non amplius probabilem esse sententiam Bonacinæ, Genuensis, et aliorum dicentium, posse episcopum a præfata excommunicatione absolvere, postquam violatores Ecclesiæ per restitutionem debitam, et alia satisfecerunt.

Hinc ab excommunicationis hujusmodi absolute omnino abstinere debent episcopi, et multo magis regulares, etiam illi, qui gaudent privilegio absolvendi a casibus Papæ reservatis: tum quia absolutio ab hac censura est eis specialiter prohibita a Clemente VIII, per dicta n. 221. tum quia hic casus non immerito annumeratur casibus *Bulle cænæ*, a quibus etiam vi privilegiorum absolvere nequeunt regulares.

224. *Absolutio dari non potest, et data non valet ante factam restitutionem.* — Resp. II. A præfata excommunicatione ob violatam immunitatem contracta, absolutio non datur, nec dari potest, et data non valet, neque prodest; nisi prius restituito reo, et facta satisfactione læsæ ecclesiæ, arg. c. *Ex litteris. de Constitut. c. Qua fronte. 25. de Appellat. et c. Cum desideres. 15. de Sentent. excomm.* et ibi doctores communiter: quibus accedit declaratio cardinalium apud Jacob. Pignatell. loc. cit. n. 38. « Absolutio ab Excommunicatione non prodest, nisi secuta restitutione, et reintegratione ecclesiæ. »

De modo autem restituendi vide supra n. 208.

Hinc episcopi in casu speciali obtinentes a Sede apostolica facultatem, seu commissionem absolvendi, absolutionem impertiri non debent, nisi violator restitutionem fecerit, et Ecclesiæ satisfecerit.

### § IX.

#### DE IMMUNITATE REALI, ET PERSONALI.

Explicata prima immunitatis specie, localis nempe, transimus modo ad reliquas duas: realem videlicet, et personalem.

#### 225. *Immunitas realis et personalis, quæ?*

— Quæritur I. Quid sit, et in quo consistat immunitas realis, et personalis, seu rerum, et personarum ecclesiasticarum? Resp. eam esse et consistere in hoc, quod personæ ecclesiasticæ, et bona cuncta, seu res omnes ad personas ecclesiasticas, vel ad ecclesiam aliquam pertinentes, sint immunes, liberæ, ac exemptæ, a jurisdictione cujusvis potestatis, et personæ laicalis, seu laici, atque ab exactionibus, et oneribus eorumdem quibuscunque. Ita in re omnes tam theologi, quam canonistæ, arg. c. *Non minus. 4. c. Adversus. 7. h. t. c. 1. eod. in 6. Clem. un. eod. c. Quaquam. 4. de Censib. in 6. Authen. Item nulla. c. de Episcop. et cleric.* Nec est circa hoc aliqua controversia: solum notandum, quod immunitas, qua res ecclesiarum et clericorum sunt immunes, vocetur realis; illa vero qua personæ sunt exemptæ a jurisdictione et ab oneribus personalibus, vocetur personalis.

226. *Bona ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum sunt triplicis generis.* — Quæritur II. Quænam res seu bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum gaudeant hac immunitate reali? Ante responsum notandum, res et bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum esse triplicis generis. Primi generis sunt ipsæmet ecclesiæ materiales, seu templa ædificata una cum cœmeteriis: item vasa sacra, vestes, paramenta, et alia sive consecrata, sive benedicta, ad divinum cultum deputata quasi instrumenta. Secundi generis sunt ecclesiarum, et beneficiorum bona temporalia nec consecrata quidem, nec benedicta, tamen a fundatoribus, aut aliis fidelibus propter Dei honorem et gloriam pro dote ecclesiæ, hactenus intentione et fine oblata, et donata, ut per prælatos ecclesiarum pro decenti ornatu, et conservatione ipsius ecclesiæ, ac necessariorum ad eam; item pro honesta sustentatione rectorum, ac ministrorum Ecclesiæ, et (si quid superest) in pauperum, aliarumque piarum causarum usus expendantur. Tertii generis sunt bona ecclesiarum, et clericorum propria titulo aliquo temporali v. g. emptione, hæreditate, arte, labore, inventione, aut alio simili titulo acquisita, quæ communiter etiam bona patrimonialia vocantur.

227. *Ecclesia ipsa ejusque res, vasa sacra gaudent immunitate reali.* — Resp. I. Omnia triplicis enarrati generis bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum gaudent

immunitate reali, indeque libera, immunia, ac exempta sunt ab omni jurisdictione laicali, atque ab oneribus, et exactionibus laicorum quorumcunque. De bonis, seu rebus primis generis conveniunt omnes; quia nullam utilitatem habent, ac ipso, quod tanquam consecrata ac benedicta, et ad divini cultus ministerium deputata, nullis aliis humanis, ac profanis usibus applicari valeant, arg. can. *Quæ semel. 4. can. 19. q. 3; can. Ligna. 38. de Consecrat. dist. 1. et c. Semel. 51. de Reg. jur. in 6. ibi: « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. »* juncta l. *Sancimus. 21. c. de Sacrosanctis Eccles.*

228. *Item bona Ecclesiæ temporalia pro dote eidem collata.* — De secundi generis bonis, quod præfata immunitate reali gaudeant, pariter conveniunt doctores ita, ut teste Fagnano, in c. *Non minus. 4. h. t. n. 8. nullus discrepet, arg. c. Non minus. 4. c. Adversus. 7. h. t. c. 1. eod. in 6. et Clem. un. eod. juncto c. 1. de Censib. et c. Quaquam. eod. in 6. accedit jus civile, Authen. Item nulla. c. de Episc. et cleric. ibi: « Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias, ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere aut invadere bona ecclesiastica præsumat, quod si fecerit, et requisiti ab ecclesia vel imperio contempserint, triplum refundant: et nihilominus bona imperiali banno subjaceant; quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur. » Ratio autem est; quia hoc ipso, quod a fidelibus pro dote Ecclesiæ, ad Dei cultum, Ecclesiæ, ac ministrorum, ejus conservationem, pauperum sustentationem, et in alios pios usus dicata ac destinata sint, indeque vocentur « res Dominicæ, » can. 39. Apost. Item « Christi pecuniæ, » can. 1. cau. 12. q. 2. « Patrimonium Christi, et pauperum, » non nisi in præfatos pios usus convertenda sunt, quod non fieret, si exactionibus, et oneribus laicorum gravarentur, et in cultus divini, causarumque piarum præjudicium, et Christi injuriam ac irreverentiam diminuerentur. Concordat can. *Secundum. 24. cau. 23. q. 8. Huc etiam quadrat, quod dicitur can. Nulli. 3. cau. 12. q. 2. ibi: « Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur (id est datur Glossa hic) sive fuerit homo, sive animal sive ager, sive quidquid semel fuerit consecratur (id est oblatum Domino) sanctum**

Sanctorum Domino erit, et ad jus (dispensatorium) pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Deo, et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, seu eripit, et usque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur, et si emendare noluerit, excommunicetur. »

229. *Necnon alia bona quocunque titulo acquisita, et bona patrimonialia clericorum.* — De tertii generis bonis est communis doctorum ut videre est apud Barbos. *Jur. Eccles. univ. cap. xxxix. § 5, num. 6; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. vi, n. 9; Abbas, in c. fin. de Vita et honest. cleric. n. 3; Pirhing, h. t. n. 59; Engel, h. t. n. 24. cum Glossa communiter recepta in c. fin. de Vita et honest. cleric. §. Suis facultatibus.* Idque probatur imprimis ex c. *Quaquam. de Censib. in 6. ubi sine ulla distinctione de cunctis rebus et bonis ad ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinentibus illa habentur verba: « Cum igitur ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum jure humano, quin et divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes. »* Imo ibidem in specie res etiam proprias personarum ecclesiasticarum esse exemptas asseritur: ibidem de « pro rebus suis propriis. » Adhuc magis ad propositum sine ulla distinctione de bonis (dummodo legitime quocunque tandem titulo acquirantur) ad ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinentibus loquitur c. i. h. t. in 6, ubi postquam Pontifex contra quosdam dominos temporales conquestus est, quod ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis exigant collectas, tallias, et alia hujusmodi onera præterdant prætextu honorum, quæ ad ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinent, statuit, ut sequitur: « Volentes itaque (prout expedit) sollicitè providere, totque temerariis abusibus, congruis præsidii obviare, auctoritate apostolica, præhabita cum fratribus nostris diligenti deliberatione decernimus, non licere communiis, scabinis, et iis, qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas seu exactiones quascunque ecclesiis, vel personis ecclesiasticis imponere vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus, ab eisdem ecclesiis, vel personis ecclesiasticis legitime hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis: etiamsi ipsæ ecclesiæ, vel personæ vel res